



Petrus natione Heluetius à pueris bonis literis operam dedit, atq; primis fundamentis iactis sese hinc inde ad uarias Academias contulit, ac liberalibus artibus & in primis Græcæ & Latinæ linguæ præclaram operam nauauit. In ijs cum plurimum profecisset, Argentinam peruenit, atq; inter eius scholæ professores ascitus fuit. Eam uocationem is magna diligentia obiuit, atq; per plures annos iuuentutem in omni genere literarum optimè instituit. Nec tantùm præsentibus, uerùm etiam absentibus, ipsiq; posteritati consulere uoluit. Nam Lexicon Græcolatinum in usum iuuentutis diligenter congescit, ablatis dictionibus ob-

soletis aut barbaris, nec non authorum testimonijs, quæ in maioribus Lexicis habentur, ut quæ tyronibus non sint necessaria, atq; illud Argentinæ 1539 edidit. Extat quoq; eiusdem Dictionarium Latinogermanicū, & uice uersa Germanicolatinum, ex optimis Latinæ linguæ scriptoribus cōcinnatum, cum appendice uocabulorum in locos & classes aptè digestorum. quod quidem opus magno studiorum applausu non immeritò à Germanica iuuetute perpetuò in manibus teritur. Hinc factum ut Dasipodius ob suas lucubrationes magnum sibi nomen compararit, atq; uiris doctissimis hoc loco adiunctus fuerit. Con, Gest